

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0413

0411

0417

0407

399

ut imminens periculum mutuo auxilio declinetur, solum enim in
auteriori deserto habitant et non in interiori, in quo non habitavit
bestia, nec homo, nec avis, in eo nutrimenta habere possunt. In
locis autem, ubi suspicantur mercatores vel alios transituros,
figunt tabernacula, et ubi sunt paludes pro suo et pecudum potu,
ibi latitant aut in cavernis petrarum aut in turguriis ex sarmen-
tis factis, et dum aliquos cernunt venire, equos, asinos et came-
los suos ascendunt et cum hastis et clipeis in via se ponunt.
Prodeunt etiam de cavernis eorum foeminae, seminudae sicut
viri, miserrimae ac turpissimae, cum pueris et lapidibus accur-
runt partem spoliorum accipere paratae. Crudeliter autem
contra advenientes procedunt cum clamoribus et vibratis hastis,
et pedites mulieres et juvenes cum lapidibus. Dum autem
conveniunt ambae turmae, saevitiam remittunt Arabes et paci-
fice pedagium exigunt dicentes, se esse dominos deserti et
omnium, quae muris non sunt inclusa aut sepibus circumdata,
tectis operta aut fossatis munita etc. Porro si pars adversa
recusat solvere pedagium, non permittunt eos procedere, nisi
sint fortiores se, et hoc viso jam pedagium non exigunt, sed
supplices eleemosynam petunt, paucis autem denariis contem-
tantur, et si dantur eis Paximatii, gaudentes accipiunt et abire
permittunt. Nemo autem faciliter cum eis congreditur nec
eos irremuneratos dimittit, quia cum multis turmis deserta
perambulant, et dum auditum fuerit, socios caesos aut spretos,
confluent et concurrunt et nimis graves fierent contrarii nec
quiescerent, donec eos insequerentur et totaliter spoliarent.
Offensi enim crueles sunt et implacabiles, nisi se vindicaverint,
Quapropter S. Jeronymus in epistola ad Dardanum eos nomi-
nat barbaros, dicens: Post terram sanctam sequitur vastissima
solitudo, plena ferocissimis barbaris. Hanc solitudinem et
omnem locum sub divo dicunt esse suum, igitur in omnibus
viis ab obviantibus pedagium exigunt, et non solum in deserto.
Ipsum tamen desertum dicunt suam propriam patriam, in qua
habitant sine civitate, sine villa, sine castro, sine domo, in
petrarum cavernis et sub tabernaculis, nec aliunde nisi de
praeda vivunt et tantum defectum atque penuriam sustinent,
quod apud nos canis sufferre non posset. Si quando autem
praedam invenire non possunt, furtis vitam sustentare quaerunt,

Ende

Anfang